8

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE VARIOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

STANDISH O'HEA,

HIBERNUS.

A. B. Col. Lil. Louv.

NEC NON

Societ. Hib. Med. Edin. Soc. Ex. et Praef. Ann. &c.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

" Thus does the surface spotted o'er, presage,
" The happy issue, or celestial rage. RAMSAY.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ALEX. SMELLIE.

1797.

Consanguineo et Amico suo,

JOHANNI HALY, EQUITI;

Nec non

JACOBO HAMILTON, M. D.

Qui

Scientiam obs; docet exercetque

Summa cum sua laude,

Et

Generis humani commodo,

Denique,

Patri suo indulgentissimo

JOHANNI O'HEA, ARMIGERO,

DE GREENFIELD;

Viro,

Animo, probo, honesto benevolo,

Ac

Moribus integerrimis,

Insigni

Hoc opusculum quale quale sit,

Sacrum esse Vult,

S. O'HEA.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA.

QUONIAM leges hujuſce inclytae academiae, ab omnibus ad gradum artiſque medicinae honores aſpirantibus ſpecimen ſcientiae Hippocraticae exigunt, quibus legibus obtemperaturus, hanc inauguralem diſſertationem, diffidentia, quae juvenem et inexpertum decet, in lucem edo; quanquam nihil novitatis illi inſit, quod

eam commendet, attamen in ea de morbi natura agitur, quae medicorum attentionem in ſeſe merito convertit; etiamque ob ſtragem permagnam quam ſaepe infert, et quippe cum vix hominum quiſquam ſit, quin in vitae decurſu hoc afficiatur.

Definitio.—Sic morbus de quo agitur, definitur :

'Pyrexia contagioſa cum vomitu, et ex 'epigaſtrio preſſo dolore, tertia die incipit, 'et quinto finitur, eruptio papillarum 'phlegmonodearum, quae octo dierum ſpa-'tio, in ſuppurationem et in cruſtas demum 'abeunt; ſaepe in cute cicatrices ſive fove-'olas relinquentes.' Permulti auctores lites immortales intenderunt, et adhuc intendere pergunt, de certis ſpeciebus et diſtinctionibus hujus morbi, ex aſpectu vel puſtularum numero deductis, et quibus ſpeciebus morbi diverſis nomina chryſtalinae, ſiliquo-

ſae,

ſae, verrucoſae, et alia ſimilia tribuerunt. At ſi mihi judicare liceat, non magni momenti eorum diſcrepationes ſunt, quoniam nihil utile ex iis invenitur, quo in medendi methodo dirigamur, quare, et quia nunc mihi non vacat, has diſputationes praetereo, et aliis perſcrutandas relinquo, mihi ſufficit, et ut ſpero perilluſtribus profeſſoribus, quibus hoc opuſculum ſubjicio, in duas ſpecies dividere, ſcilicet in diſcretam, vel benignam, et confluentem, vel malignam.

Prima ſic definitur ;—Puſtulis paucis diſcretis circumſcriptione circularibus, febre eruptione facta protinus ceſſante.

Hiſtoria.—Medici Arabici nobis variolarum hiſtoriam primo tradiderunt, aliqui tamen aſſerunt hunc morbum antiquis Hippocrati Galeno et Aetio haud incognitum ; quamvis nulla ejus mentio ſub nomine variolae

riolae hodiernae in eorum ſcriptis ſit, ſed ſub alio ſcilicet exanthematum memoratum. Doctiſſimus de Hean hanc opinionem tenuit, et probare conatus eſt; viri clari Friend et Mead tamen dicunt, nos in controverſiam venire non debere, quin variola iis incognita fuit, non autem Tyronis eſt inter duces tam claros componere lites, ſaltem apud Angliae incolas centuria annorum decima tertia labente, benè nota fuiſſe videtur. Morbus proculdubiò admodum contagioſus eſt, et neminem ſecunda vice afficit; et aetatem teneram praecipuè adoritur. Languore, laſſitudine, pandiculatione, ſomnolentia, et aliis pyrexiae ſignis incipit, his anxietas, calor ardens et conſtans dolor capitis, lumborum et ſcrobiculi cordis, ſitis, appetitus proſtratus, nauſea, vomitus, ſuperveniunt: palpebrae paulo tument, aegri ſaepe ſtupore et deſiderio cubitum eundi afficiuntur, nec ſomno quieto gaudent, ſed inſom-

niis

niis variis perturbantur, ſubito expergiſcuntur cum trepidatione; convulſiones in infantibus, et ad ſudorem in adultis proclivitas ſaepe obſervantur, nec niſi in gradu violentiore malum minitantur, et ſi non nimis ſaepe apparent, teſtante Sydenhamo ſpeciem morbi hujus mitiſſimam praecedunt; ictus arteriarum frequentes, qui magis duri ac validi ac pleni evadunt, urina eſt pālida, ſpiritus ſaepe acceleratur, una cum oppreſſione ponderiſque ſenſu. Haec ſymptomata mane leniora, nocte vehementiora ſunt, pro morbi lenitate vel gravitate, et uſque ad tertium diem manent; tertio plerumque die, parvae maculae rubrae primo in facie, exinde in collo, et ſterno denique in aliis corporis partibus erumpunt, morſus pulicum initio aemulantes, ſed cito ſupra cutis ſuperficiem elevantur, et tactui firmae fiunt; ſed fortaſſe non ſemper curſum tam regularem obſervant, nunc citius, nunc ſerius apparent,

parent, et ſemper cum pyrexiae remiſſione concomitantur, pauciores in facie plerumque quam in reliquo corpore obſervantur, et nunquam ut in variola confluenti conjunguntur, ſub quinto vel ſexto die in earum ſummis liquor ſeroſus obſervatur, bidui tantum ſpatio lateſcunt, nec ante diem octavum formam ſphaericam adipiſcuntur, baſis earum ab initio inflammata margine circumdatur, et quando numero plures ſunt, interſtitia colore roſarum rubrarum, vel damaſcenarum tincta apparent, circa quintum diem facies tumida fit, palpebrae nonnunquam tam tumore afficiuntur, ut oculi prorſus claudantur, cum faucium inflammatione et dolore deglutitioni nonnihil obſtantibus, humor puſtularum adhuc ſeroſus, ſpiſſitatem majorem et colorem purulentiorem acquirit. Hoc ſtadio peracto, die undecimo faciei tumor ſubſidere incipit, puſtulae omninò plenae et turgidae ſunt, apices earum nigreſcunt

grefcunt deinde poft puris exfudationem flaccidae fiunt, in fquamulas paulatim abeuntes, aliquando autem parva quantitas tantum evadit, parte remanente indurefcente et cum cruftis paucis diebus decidente. Plerumque faciei ita accidit, et tali modo puftulae aliarum corporis partium evanefcunt. Interdum in extremitatibus pus abforbetur, quapropter puftulae dum in reliquis partibus plenae, in his flaccidae manent, et quafi veficularum inanium formam induunt, decimo vel undecimo die faciei tumore evanefcente, manus ac pedes turgefcunt; qui vero puftulis maturefcentibus, iterum detumefcunt, et quum puftulae faciei perplures funt leniori pyrexia comitantur, quae puftulis repletis, et in fuppurationem abeuntibus, rariffime poftea periculofa eft, raucedo deglutiendique difficultas quafi faciei tumori obtemperant, et una cum hoc augefcunt evanefcunt. Difcretae fpeciei hic curfus regu-

laris

laris vel ordinarius eſt, ſed longe aliter res ſe habet in confluente, quamvis in hac omnia alterius ſymptomata, ſed gradu multo graviori adſunt. Febris quae in diſcreta ſpecie, eruptione facta ceſſat, vel ſaltem miteſcere ſolet, in hac ſemper ſaevit, cum pulſu parvo debilique: acceſſione hujus morbi vomitus ſaepe adeſt. Infantes etiam convulſionibus corripiuntur, quae nonnunquam ante eruptionem vitam terminant. Apud Sydenhamum in diſcreta, potius quam confluente obſervantur, nec infauſti ominis habentur, niſi ſaepius repetantur. In hac ſpecie eruptio aliquando ante diem tertium ſe manifeſtam reddit, et quo citiùs erumpunt maculae, eo periculoſior morbus, et quò ſeriùs eo felicius terminari habetur. In initio, quaſi diſcretae formam induunt, ſed poſtea acervatim et conferte cohaerent, ut in rubeola apparet. Eruptione finita puſtulae plures cohaerentes, minus eminentes in

facie

facie cernuntur, et faciei tumor et faucium affectiones magis infignes in hac, quam in illa, interdum deglutitionem ex magna parte impedientes, et fuffocationem minantes, adulti ptyalifmo afficiuntur, materies primo eft tenuis, magna in copia exputa, fed progrediente morbo, lenta et vifcida evadit, et magna cum difficultate rejicitur, infantes vero diarrhoea, quae in difcreta apud Sydenhamum nunquam obfervatur. Febris quae poft ftadium primum vix aut ne vix quidem mitefcit, vehementer ardet, et per reliquum morbi curfum faevit cum delirio comateque. Liquor in puftularum apice concretus, femper perlucidus vel fubalbidus remanet, raro colorem confiftentiamque benigni puris adipifcitur, neque puftulae formam iftam fphericam difcretae propriam habent, fic tota facies veluti una veffica ichori tenui et fufco repleta, obduci videtur: tumefcit magnopere facies, haemorrhagia,

morrhagia, hematuria, et diſſuria aliquando adſunt, petechiae et maculae inſtar gangraenae liveſcentes, multas corporis partes, ſed praecipuè interſtitia puſtularum occupant, cum pulſu velociſſimo, debili, inequali, ſummaque debilitate ſubſequente, reſpiratione difficili, mors die octavo apud Cullenum, ſaepius vero undecimo vel decimoquarto, vel ſerius vitae finem ponit.

Diagnoſis.—Obſervatum, et quidem rationi conſentaneum eſt, nihil magis ad honorem medici facere, quam rite et rectè morbos cognoſcere et dignoſcere, in hoc, ſalus aegroti plurimum pendet, namque remedia unicuique morbo propria adhiberi poſſunt, ſic morbo venienti occurrere diſcamus, quo ex toto ſaepe tollatur, vel ſaltem ejus vires diminuantur, et curſus mitigetur. Et quo major, inter morbos affinitas ſit, eo magis, ad ſymptomata diverſa attentionem dirigere debemus;

debemus; multum medicum etiam adjuvabit, morbum epidemicè graſſantem perpendere, etiam medici erit accuratè inquirere, an variola aegrotus antea laboravit, an contagioni varioloſae obnoxius fuerit, ex quibus medicus ſagax veram diagnoſin deducere poteſt. Morbi qui variolam maximè ſimulant, ſunt rubeola, varicella, ſcarlatina, et eryſipelas. Quaedam ſymptomata rubeolae propria, variolae communia ſunt, praeſertim confluenti, inter quos morbos priuſquam maculae eruperunt, prognoſis haud facile patet; in variola autem, tuſſis non tam gravis eſt, neque raucedo, nec aegrimoniae pectoris adeo aegrum opprimunt, neque oculi tam afficiuntur, quamvis interdum parum variola inflammantur, ſed ſine ſternutatione, et lacrymatione abnormi, eruptione facta, omne dubium evaneſcit; in rubeola eruptio eſt admodum irregularis, et vix ſupra cutem eminet, in variola autem, veſicu-

las

las parvas rotundas elevatas refert, confideranda eft etiam morbi epidemicè graffantis natura, ex quibus morbi genus optimè cognofcatur; apud Hunterum, utraque contagio tempore eodem exiftere poteft. Variola a varicella facilè difcriminatur; omnia enim fymptomata valde difcrepant, excepta eruptione, nam faepe in varicella puftulae largae, et pure flavo bene replentur, adeo ut deductum fuerit, hominem in hanc faepius per vitae decurfum incidere poffe, fed in varicella febris femper eft levior apud Heberden, nihil aliud quam moleftiae fenfus, vel ciborum averfatio, per tres dies obfervatur.

Difcrimen facere inter variolam, et fcarlatinam haud difficile eft, nam in febre fcarlatina, nec dolor regionis epigaftricae, neque vomitus, neque convulfiones infantibus adfunt, praeterea maculae majores, latiores, magifque irregulares, cum rubore per faciem

ciem totumque corpus diffuſo cernuntur, tempore eruptionis, ſed de hoc nihil certum ſtatui poteſt, nam Sydenhamo teſtante, variolarum eruptio nunc citiùs, nunc ſeriùs fit: Sed obſervari debet, quod angina in ſcarlatina ante eruptionem fere ſemper occurrit, in eryſipelate ruborem potius quam puſtulas in aliqua faciei parte obſervamus, qui preſſione evaneſcit, et alias ad partes gradatim vagatur, dum in iis decreſcit, quas ante occupaverat.

Quaedam Obſervationes.—De variolae cauſa apud medicos minimè diſputatur, inter omnes conſtat, ex contagio quodam ſpeciali oriri; quae vero ſit iſtius contagii natura ſpecialis, vel ratione qua, hoc contagium morbum ſuum proprium efficiat, adhuc latet, et fortaſſe ſemper latebit, nam ut bene ait Lucretius:

"Multa ſacro tegit involucro natura nec ullis,
"Fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia; multa
"Admirari modo nec non venerari."

Cauſae

Cauſae multorum morborum multiplices ſunt; plerumque obſcurae, inſcrutabileſque, contagiorum autem variorum in corpus humanum effectus, quotidie varios obſervamus. Ex infinitis fere morbis, quibus genus humanum affligitur, de nullo plures et fortaſſe futiliores ſententiae, quam de variola literis proditae ſunt. Aliquibus viſum eſt, oriri ab animi affectionibus vehementibus, ab crapula, ab exercitatione, medicamentorumque violentium vi; eſtque qui vultu ſolo communicari ſomniavit, ſed omnes opiniones ſunt vanae, quae hoc de morbo conceptae ſunt, quas enumerare, inutile et ſupervacaneum foret, nam omnibus clarè patet variolam contagione ſola corpori humano admota naſci, de cujus natura, variiſque ejus operationibus nihil amplius dicam, eoque magis quod multi ſcriptores clari, qui haec tractaverunt, adhuc inter ſe multum differunt, et quorum copia obſervationum

rem

rem adeo remotam, obſcuram et difficilem illuſtrare non ſuppetat, vel quidem explicare eam nobis ſuccurrat, quare verbis poetae uti non recuſabo ; " Felix qui poteſt " rerum cognoſcere cauſas." Sed hoc optimè notum eſt, quod alii prae aliis variolae magis ſunt objecti, quandoquidem porro morbum ab aëris certis conditionibus, vel qualitatibus magis ſaevire, nunc longe, lateque ſe diffundentem, nunc impotenter lenteque ſerpentem, quaſi pabulo carentem, ut Homius Materiae Medicae noſter Profeſſor. celeberrimus cui medicina tam multum debet, de aëris effectibus ait ; " Quaedam " miaſmata morbifica, uti variolarum et " morbillorum aliarum regionum indigenae, per aërem propagantur, ſeſe in corpore humano multiplicant, iterumque " viribus auctis exeunt, ad eoſdem morbos " propagandos, aliquando magis, aliquando minus ſecundum aëris et corporis diſ-

" poſitionem

" positionem agunt, sed nunquam omninò " debilitantur *."

Prognosis.—Quando variola discreta, mitis et regularis est, symptomatibus ordinem solitum servantibus, faustus morbi finis sperandus; junioribus minus quam adultis infelix est, praesertim si adulti, habitus pleni ac plethorici sint, et quo magis confluentis formam induit, eo magis timendum semper, et vice versa quum pustulae in facie superiorique corporis parte, acervatim et nimis conferte appareant, aegri etiam multum periclitantur, si febris effrenis ardeat; quo citius maculae erumpunt, eo periculosior morbus habetur, et quo serius, eo felicius terminare observatur, etiam in periculo magno versantur, quando eruptio subitò evanescit, pustulae flaccidae

* Cel. Hom. Prin. Med. sect. 3. p. 7.

flaccidae fiunt, vel eorum interſtitia liveſcunt, vel nigreſcunt, et in ulcera foeda tandem abeunt, cum aliis putredinis ſignis. Febris magis magiſque ſaeviens, ſcenam claudit ante diem octavum, vel ſaepius ad decimum quartum, vel longius vitam miſerrimam aegri trahunt.

Ratio Medendi.—Ad eam partem opuſculi hujus, quae momenti maximi eſt, nunc pervenimus, quam ut melius exponam, ni fallor, utile erit morbum in tria ſtadia diviſum aſpicere, ſcilicet eruptivum, ſuppurativum, diſquamativum. Primum ſtadium, morbum reſpicit, priuſquam maculae eruperunt. Secundum poſt macularum eruptionem, uſque ad maturationem complectitur. Tertium ultimumque, (cum febre ſecundaria) earum diſquamationem comprehendit. Quapropter conſilia ſequentia adhibenda ſunt. 1*mo*, Diatheſin corporis phlogiſticam minuere. 2*do*, Symptomata quae-

dam quae morbum exaſperant, mitigare, puſtularum ſuppurationem lente promovere, et irritabilitatem corporis inordinatam ſedare. *3tio*, Viribus aegri conſulere, reliquiiſque morbi occurrere. Remedia, quae primo conſilio reſpondent, recitare haud difficile eſt.

In variola benigna parum artis medicae ſaltem plerumque requiritur, modo dieta antiphlogiſtica, ſtrictè obſervetur, catharticis refrigerantibus et minime ſtimulantibus, vel potius clyſmatibus emollientibus, alvus ſoluta reddatur; et ut aeger puro frigidoque aëri liberè objiciatur, potione frigida acidaque uti, et quantum poteſt e lecto remanere debet. Nihil amplius in hac ſpecie neceſſarium videtur; et ſaepe ſi plus negotii ae-
"gris faceſſamus, morbus ſtatim intenditur,
" et aeger non raró nulla alia de cauſa
" quam nimis medici diligentia ad plures
" migrat *."

Hoc

* Sydenhami opera, ſect. vi. cap. ii.

Hoc etiam teſtantur obſervationes Lieutaud qui candide hac de re loquitur.

" Tous ceux qui ont un peu de bonne-
" foi, conviennent que cette maladie de-
" mande peu de remedes, et le plus ſou-
" vent point de tout ; j'ai dèja dit, et je
" ne ſcaurois trop le rèpèter, qu'on a
" obſervè quelquefois qu'elle ètoit plus
" meurtriere là òu il ſe trouvoit des gens
" pour la traiter, que dans les lieux òu
" l'on en manquoit abſolument *."

Nec poſſint recentiores medici, veterum ignorantiam in hoc morbo tractando, nimis improbare; quorum erat ſumma cura, aegrum ſtragulis onerare, cardiacis et alexipharmaticis medicamentis eum implere, et in cubiculo calido et aëri impervio miſerum tenere; donec tandem ſudore ſubmerſus vitam effunderet quaſi in hypocauſto ſuffocatus; unde haud mirum eſt plus mali quam boni eos efficiſſe.

Si

* Lieutaud, livre ii. page 650.

Si aeger adultus, robuſtus, plenique plethorici habitus ſit, et a liquoribus meracioribus et lauto victu inflammatus; cum pulſu duro et frequenti, cephalalgia, et reſpirationis difficultate, minime dubitandum eſt, quin venaeſectio ſit neceſſaria, et ſanguinis quantitas, aegri aetate, temperamento, et morbi ſtatu, aeſtimanda ſit. An lavatio frigida, remedium in aliis febribus tam efficax, hic tuto adhiberi poteſt, quaeritur?

Ante eruptionem, infantibus convulſiones ſaepe accidunt, quae ſi leves fuerint, fauſti ominis a Sydenhamo habentur, aliquando autem tam violentae et frequentes ſunt, ut aegrum e medio tollant. Nihil in caſu hoc, efficacius quam opium eſt, ſemicupium, vel balneum tepidum efficere aliquid inveniuntur; liberam aeris admiſſionem multum adjuvare *Gregorius* teſtatur. Emetica, ſi aegrotus ventriculi affectionibus afficiatur eorum neceſſitatem indicantibus

prodeſſe

prodeſſe poſſunt, nempe ventriculum a muco viſcido repurgando, humoreſque ad ſuperficiem propellendo, ſed unde moleſtia proficiſcatur, ſtrictè debet inveſtigari; aliter, multum mali efficere poſſint, praeterea vomitus magnum humorum impetum ad caput facit; quod in corporibus plenioribus, valde periculoſum eſt, niſi ſanguinis detractio prius perficiatur. Secundum conſilium. Medici de opii uſu, in hoc morbo diverſè putaverunt; nobis vero apparet, hanc differentiam a morbi ſpecie varia, et ſtadio pendere, in variola diſcreta vix aut ne vix quidem tale remedium requiritur, et reverà in primo variolae confluentis ſtadio, quando arteriarum ictus frequentes, duri ſunt, quando omnia ſymptomata diatheſin phlogiſticam adeſſe monſtrant, uſus opii periculoſus eſt, et cautè praeſcribi debet, nam opium potentiſſimum ſtimulum eſſe fere omnes medici conveniunt, ut Homius illuſtriſſimus ait,

ait, effectus ejus vino consimiles esse, ideoque in morbis phlogisticis nocere. Sed si febris non sit gravis, et symptomata supra dicta, una cum phlogistica diathesi absint, opii usus in hoc stadio nimis laudari non potest, nam irritabilitatem imminuit, illumque dolorem ingratissimum, qui suppurationem semper concomitatur, sopit, que suppurationem benignam promovet, et somnum inire magnoperè suadet, interdum alvum nimis firmat, sed illam clysmatibus solutam tenere debemus. Idem fere de cinchonae usu in hoc stadio dicere possumus; enim omnes agnoscunt medici quod in morbis inflammatoriis locum habere non debere; sed si pustulae inanes, flaccidae, depressae, et non bene maturescentes remanent, procul dubio adhiberi debet, quia egregie suppurationem benignam promovet, tonum systematis auget, et debilitati istae periculosissimae quam haec symptomata indicant,

indicant, occurrit; ſic naturam labentem, langueſcentem, calcaribuſque indigentem excitat, et in functionibus ejus ſalutiferis ſuſtinet.

Ad tertium conſilium perficiendum.

In variola confluente ſemper aegri periclitantur; praeſertim ſi acervatim in partibus corporis ſuperioribus prorumpant maculae, et non bene impleantur ſed lateſcentes maneant, vel elevatae ſubito ſubſidant, ſi petechiae vel alia ſigna formidoloſa, ſe oſtendant; ſi febris iterum redeat et valde ardeat, et loco diatheſeos phlogiſticae, ſymptomata debilitatis putrediniſque adſint, tunc vinum generoſum cum cinchona adminiſtranda ſunt, et ut breviter dicam, praxis non alia quam in typho obſervanda eſt, ſcilicet, immunditiam removere, in cubiculum aerem novum admittere, tonica haud parcâ manu dare, eodem tempore affatim adhibere potum aliquem antiſepticum;

cibus

cibus etiam aegroti, tenuis, refrigerans, putrefactioni resistens, concoctu facilis, palatoque gratus esse debet. Opium quoque in hoc morbi stadio convenit, praesertim si irritabilitas, delirium vel convulsiones, sese ostendant, potissimum vero necessarium erit, quum sudores vel diarrhoea occurrant. (Epispastica faucibus externis applicata.) In deglutitionis difficultate, a tumore vel inflammatione oriente, utilia esse reperiuntur, tempore eodem gargarismata detergentia in usum revocanda sunt.

Si pustulae subito recedant, pars medicorum major, epispastica et sinapi applicare hortantur, multi vero alii timent ne gangraena in locis ubi haec applicentur, supervenerit. Cum variola confluens pessimi sit generis, pustulas aurea vel argentea acicula aperire, pusque abstergere auctores quidam monent.

De utilitate methodoque hujus morbi inferendi ab omnibus tam fuse dic-

tum

tum eſt, ut mihi nihil amplius dicendum reliqui videtur; et certe ſupervacaneum foret; quoniam nullus eſt qui naturam morbi ſcit quin agnóſcat opinionem celeber. *Monro*, de hac operatione, rationi omnino conſentaneam eſſe; ideo ſcriptorum ſententias varias hodie vetulis bene cognitas repetendo, Ill. Facult. tempus terere diutius nolo; et opuſculum ad finem producere propero, in quo tantum propoſui generatim de natura curationeque morbi agere, omnes controverſias et diſputationes caute evitans, nonnullaſque commutationes quae in eo accidere poſſint, lenioraque remedia iis propria, medici judicio relinquens, ut vela afflanti vento accommodaret.

FINIS.